



24.

DE
GENERATIONE
FOSSILIVM FIGV-
RATORVM,
COMMENTATVR,

ET
PRÆLECTIONES PVBLICAS

IN

HISTORIAM NATVRALEM,
RATIONALEM,

INDICIT

CHRISTOPH. ANDREAS MANGOLD,

MED. DOCTORAND. PHIL. D. ET FACVLT. PHILOS. ASSESS. EXTRAORD.
ET PROF. P.

ERFORDIÆ,
TYPIS JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
ACAD. TYPOGR.

THEATRUM
MUNERUM
AVATORVM
CETAKYAT
BRITICAS
HISTORIÆ
CATALOGUS
GEOGRAPHICUS
ADRIATICUS
TERRÆ
GEOGRAPHIA
MUNDI
ADRIATICUS
TERRÆ
GEOGRAPHIA
MUNDI





nter egregia & exquisitissima opera, quæ speculum illud perfectiōnum divinarum, quod sub naturae nomine cognitum est, sedulis sui scrutatoribus præbet spectanda, illa non mediocri gaudent prærogativâ, quæ figuram inimitabili penicillo pictam & cælatam in substancialiis adeo compactis, ut sunt pleraque fossilia, exhibent. Licet enim non attingant artificiosissimam illam animalium & vegetabilium structuram, cum tamen referunt eorumdem quandam quasi imaginem aut plane substantiam, ut in petrificatis, aut figuras nonnunquam exactissime geometricas, subtilissimo instrumento mediante concinnatas, ut in crystallis, mineris & lusibus naturæ, excellens sane artificium ubique adhibuisse naturam adeo versipellem, notant. Quod enim ad priora, de quibus dixi, nempe petrefacta, attinet, formam piscium varii generis & testaceorum ut asteriæ, echinorum ma-

rinorum, concharum & cochlearum &c. eleganter sæpe sunt, quin dantur exempla lacertarum, ranarum, aranearum, murium campestrium (quale nitidum extat in Musæo Richteriano) nec non vegetabilium complurium ut filicum, muscorum, fungorum & equisetorum, foliorum, lignorum & coralliorum petrefactorum. Sic Dn. de Jussieu ingentem copiam Schisti nigri in agro Lugdunensi reperit, in cuius fere quolibet frusto, pars plantæ cujusdam observabatur, foliis planitarum exoticarum, ut Americæ & Indiae orient. adeo exacte expressis, ut quasi de industria distracta & agglutinata viderentur. (Hist. de l'Acad. R. des Sc. ann. 1718.) In eodem Schisto in Musæo B. Linckii, Pharmacopæi Lipsiensis affervat crocodili skeleton ex Germaniæ quadam fodinâ erutum; ut taceam tot frusta & partes, tam hominum, ingentis crassitie & magnitudinis, quam elephantorum, cervorum Americanorum & hippopotami ossa in lapidis genium versa quæ in nostris oris, & alibi reperta fuere. Quod vero ad posteriora, crystallos nempe, mineras & lusus naturæ attinet, eorum exempla sunt 1) crystalli montanae prismaticæ hexagonæ, nonnunquam etiam pentagonæ, triangulares, rhomboideæ, cubicæ; quarum priores ut plurimum in extremitatibus in acumen five pyramidem hexa - aut pentagonam desinunt, quæ vero non adeo perfecta est in inferiori extremitate basi adhærente; nonnunquam etiam abest pyramis & ejus loco plana est extremitas. Hunc typum etiam servant Salia & gemmæ plurimæ, Topasio, hyacintho, Smaragdo & Sapphiro hexaedricam & cubicam utplurimum figuram præ se ferentibus. 2) Inter mineras hic

h̄c notari debet 1) minera ferri & stanni rhomboidalis & minera stanni inordinate polyedra, quam figuram nempe rhomboidalem & polyedram, saepe dodecaedram & decatesseraedram etiam amat granatus, ut pote originem suam quoad maximam partem ex stanno dicens 2) mineræ argenti rubræ prismaticæ instar crystalli montanæ, & ejusdem metalli mineræ vitri colore præditæ cubicæ, ut & talis figuræ plumbi & ferri cujusdam mineræ descriptionem habet Henkeilius in Pyritologia p. 169. Sæpe etiam argentum instar arbuscularum, aut crinium, ramorum, filamentorumque occurrit, ut dubium sit an natura anye ars præcellat in formandis sic dictis vegetationibus metallicis & Arboribus Dianæ. Eandem figuram æmulatur saepe numero antimonium & cobaltum rubrum plumulas & filamenta, radios ex centro quodam ortos imitantia, egregie rubicunda sistens, quod, sub alio licet colore & situ etiam quodammodo præstant vitriolum & alumen. 3) Minera mercurii & cinnabaris plerumque parallele fitas habent hastulas, cum bismuthum contra & arsenicales antimonialesque mineræ ut & nucleus hæmatitidis radiantes tales sistant. 3) Huc prodeat totum agmen pyritum tam sphæricorum, botrytum, radiatorum, tetra - hexa - octa - deca - dodeca - decatesseraedrorum, item polygonorum parallelogrammis interspersis, prismaticorum, faviformium, fistulosorum & denique petrefacta continentium vel in iis contentorum, quos in ipso modo citato Autore alibique delineatos videbis; quorum autem quidam ad lusus naturæ pertinent. 4) Marmor fuscus, Basaltes s. columna Misena & lapis lydius di-

Etus, plerumque sex vel septem faciebus planis, interdum 5 aut 4. præditus, ingentis crassitie & magnitudinis, etiam huc pertinet. Ad lusus vero naturæ referuntur 1) stalactites, quos aqua in cavernis facit subterraneis & qui jucundissimas saepe dant formas; ut piforum Saccharinorum, amygdalarum & aliarum rerum conditarum, ut sic dicti confetti di Tivoli testantur, nec non stiarum glacialium, tabularum metallicis miculis conspersarum, in aquæ subterraneæ lacubus natantium, statuarum humanarum, & animalium, organorum musicorum &c. licet imaginatio subinde debeat opitulari, tamen visu jucundorum. 2) Graptolithi, in quorum censu sunt marmora, achates & Jaspides qui muscos, arbores, plantas, rupes, maria, mappasque geographicas repræsentant.

Modum generationis horum omnium ostensurus, præmonere statim debo, nimis amplam esse hanc tractationem quam ut in hujus tractationis adeo angustis terminis contineri queat adeoque hic solum omnia fossilia aliquando liquida fuisse & per determinatas & varias causas coagulata & figurata esse demonstrabo; liquiditas vero non semper tanta quanta in fluidis consuetis, ut aqua intelligitur, sed sufficit decens ejus ad recipiendas figuræ aptus gradus. Animalia & plantæ petrefactæ per alias substantias in lapideam formam mutari aut & imprimere illis imaginem suam, non poterant, quam quæ aptæ erant, ad penetrandum in minima interstitia & ad impressionem suscipiendam; Jam vero solidæ substantiæ non sunt aptæ ad penetrandum in minima interstitia (per definitionem solidi) nec possunt

sunt ob cohaesionem majorem, impressionem suscipe-
re; consequenter non potuerunt solidæ esse substanciæ, quæ petrefactorum causæ sunt. Autopsia aperte
docet in ipsam conchiliorum aliarumque partium ani-
malium substantiam exiguae pyritum, spati, crystallo-
rum quin metallorum particulas intrasse & vicissim
conchylia, quæ tamen evidenter ex mari plerumque
orta sunt, in durissimis corporibus plane inclusa esse,
quid quod ligna à metallis & micâ penitus penetrata
& obducta esse; Impressionem vero factam esse, pi-
scium, aranearium, astacorum &c. figuræ in schisto aliis-
que lapidibus demonstrant. In gemmis, cristallis,
succino, alabastrisque inclusæ reperiuntur guttæ aquæ
folia arborum, paleæ, muscæ aliaque insectæ. Sic et-
iam dantur renes sive uteri sic dicti crystallini, mar-
morini & gemmei, ubi in circumferentia cavitatis in-
ternæ à cortice terreo arenoso saepe rubro vel etiam
pyritico pro gemmis, formatæ, dictæ, corpora per ra-
dices suas sunt infixa & ut plurimum tanquam radii
ad centrum in medio uteri tendunt & in quibus si
confringantur, saepe claræ aquæ guttulæ inveniuntur;
à quibus non multum abludunt æstites s. ili lapides, qui
in sua cavitate alios gerunt lapides, qui si perfectio-
nem adepti sint mobiles existunt & sonum edunt mo-
ti, si vero nondum perfecti sint, non crepitant. In
lapide interiori saepe iterum tanquam novus partus in-
clusus est aliis. Dein exempla haud dubiae fidei ad-
funt, ubi instrumenta antiquorum metalli fossorum
cum petris concreta & ab iis undique testa reperta
fuere itemque ubi post multos annos lapicædinæ tot
lapidibus orbatæ viam iterum publicam æquarunt,

quod

quod etiam de sulphuris & Aluminis scissilis valet fodinis. Gemmæ quoque multarum specierum & crystalli cum multis aliis mineralibus & metallis coalitæ reperiuntur ita ut cristallus filum cingere argenteum deprehensus sit; quæ omnia fieri non possent si in eorum productione cohæsio appositorum non fuisset adeo parva ut ab exiguâ vi tolli potuerit i. e. ut fluiditati, quam soliditatì proprietor fuerit consistentia eorum. Uberius vero dicta confirmant osteocolla ferruginei sive cinerei coloris fistulosa Hermanni in Maslographiâ, quæ in arenâ flava crescit, sub arena mollis, in aurâ indurescens adeo ut silicis instar vitrum incidere possit, continens medullam, unde germen fossile s. coralloides audit, argentum præbens plumbo examinata; itemque vegetatio lapidis gypsarii formâ ramosâ & pilorum nec non alia conchas marinas imitans in Ferrando Imperato; nec non tartarus sive lapis vini & omnium plantarum, quin animalium, arbores Dianæ & vegetatioues chymicæ. Hæc enim omnia liquida vel liquidis saltem nupta fuisse palam est. In specie vero in urinâ per 3-4. annos in temperato hypocausti calore in vase clauso asservata, lapides oriuntur crystallini in parietibus vasis, ut habet Henckelius, selenitici, spatosi vel semicalcarei nitriformes vel prismatici, insipidi, quibus aqua fervens nil demit. Sicque sensim devolvimus ad rationem figurarum crystallinarum & minerarum lapidumque, à crystallisatione salium petendam, nam hi lapides urinæ quoad figuram & originem affinitatem quandam habent cum nitro & speciatim cum Aphronitro, licet nitrum per solubilitatem in aquâ & sapiditatem sese distinguat ab illis lapidibus

id

id quod dependet à proportione majori salinarum partium erga terreas, quam ibi & quod non adeo arcte hic unitæ fuerint partes lapideæ cum salinis, uti fit ibidem. Illustrat hæc aliud exemplum in Hist. Acad. R. Paris. à du Hamelio edita p. 18. ubi sal ex sale tartari & aceto destillato compositum cum arenæ duplo in globulos redactum & forti igne destillatum, dedit concretum in retorta residuum, quod aquâ extractum, filtratum, in vase ampio per unum diem repositum crassam dedit mucilaginem, quæ in igne arenæ magis densata in lapidem concrevit; In hoc experiento salis quantitas à quantitate arenæ superatur & sal ipsum lapideam arenæ substantiam ad solutionem fecit aptam, ita ut succus lapidificus hac ratione per artem obtineri queat. Porro affinitas indolis crystallorum cum salibus inde innoteſcit, quod ad compositionem crystallorum artificialium recipiantur vel nitrum, borax, arsenicum, silices, tartarus & magnesia, vel tarsus, qui est marmor albus optimus & salia diversa ut soda, sal filicis, fagi, calcis vivæ &c. Hæc salia non sunt pure alcalia sed media, sal enim filicis e. g. omnia indicia salis communis præbet; Silices vero & marmora, uti omnia fere mineralia acidum condunt. Non nego, aliquam adhuc esse differentiam inter cristallum montanam & artificiale, sed levis illa est & fixitate artificialis præ naturali majori solum nititur.

Cum igitur crystalli mineræque crystallinæ tantum sint salia per materiam lapideam & metallicam in proportione superata, variabit figura eorum, prout Salia commixta sunt nitroſa vel vitriolica vel aluminoſa

nosa vel falsa stricte sic dicta vel denique ex his diversimode combinatis & per alias accedentes substantias mutatis, constantia. Jam vero nitrum format prismata hexagona, adeoque fossilia quæ tali figurâ gaudent, de nitro vel saltem de proprietate ejus, quâ talen figuram recipere aptum fit, participare censenda erunt; quæ talia prismata formant exigua, quibus in extremitatibus utrisque insident pyramides totidem facierum, de specie tartari vitriolati, quæ ad cubicam accedunt figuram, de Sale communi, quæ rhombo assimilantur, de vitriolo, quæ denique octaedricam fortita sunt formam, de aluminis proprietate participant. Quæ incertas formant figuras vel polyedra, per compositionem modo memoratorum orta esse putanda sunt, in omnibus enim solutionibus tam Salium quam mineralium accurate examinatis, nullam deprehendi, quæ in principio crystallisationis & exæcte institutâ operatione, evaporatione scilicet lentissimâ adhibitâ talem præberet figuram, bene vero per plurimum crystallorum minorum coagmentationem in quandam majorem in Tartaro vitriolato & pluribus plantarum Salibus eam natam observavi; cum igitur in crystallisatione vel figurae fosfiliū non advocemur ad eam spectandam, & diuturnam magis illa poscat moram, quam solutionum artificialium crystallisatio, patet non posse determinari exæcta, an figura Fosfiliū occurrens simplex sit, partibus minimis propria, an vero composita magis ex illis; Si itaque, ut opus est hic analogice procedamus, figuræ istæ sic formabuntur: Fluido superfluo, separationem partium densiorum efficiente abacto, sphærulae minimæ viscidæ ex salibus & lapidea

pidea materia compositæ, ob fortiorum cohæsionem
inter se quam cum fluido, sese uniunt & ex actione &
reactione sese comprimunt in lineam rectam. Cum
enim se prius in paucis tantum punctis vel plane non
tetigerint, jam vero sese contingent & ex contactu im-
mediato in se invicem agant, necessario ob resistentiam
sublatam, quam fluidum dabat, actio fit secundum di-
rectionem fortioris & sphærula una æquilibrium par-
tium alterius superabit & præsertim plures interme-
diæ cujusdam figuram sphæricum mutabunt in recti-
lineam: Quælibet autem sphærula, cum partibus ad-
huc constet, in se agit & & in parte superiori à con-
taetu remotâ per eandem actionem ex cohæsione
complanabitur. Quodsi tres unam cingant vel toti-
dem unum forment interstitium, formabitur tetraedrum
vel pyramis quadrilatera (haec enim est verum
crystallisationis principium, non triangulum vel bra-
æola infinite parva, uti Bourguetus Neocomensis
Physicus vult, hic enim non dantur plana sed corpo-
ra) si 4 sic formatæ guttulæ s. tetraedra coeunt, ori-
tur parallelepipedum, nempe vel cubus vel octaedrum,
si 6, prisma hexagonum. Intermedia particula dat
nucleum s. basin, super quam aliæ accedentes æquali-
ter difflunt, per actionem aeris & ignis sæpe deter-
minatæ.

Rationem hanc figurarum aliqualiter jam dede-
runt Cartesiani quidam & inter eos Rohaultius, magis
perspicue vero & solide, quod ad Salia attinet, solidif-
simus Hambergerus in Mspto ch. à quo vero non nihil
discedere cogor per phænomena Salis communis, Sac-

chari, viridis aeris crystallini, Salis essentialis vini (quod ex variis vinis Leeuwenhoekius accurate examinavit) & solutionis inspissatae oculorum cancerorum vel creatæ cum aceto destillato factæ; Horum enim crystalluli in quatuor partes per diagonalia duo plana sectæ sunt, ut ita orientur 4 pyramides tetraedricæ quæ in Salis communis cubulis in medio eorum satis à se invicem distant, ita ut in vase vitro versus lumen directo satis distincte videri queant. Jam dicit Illustris Autor, si figura parallelepipedi & octaedri oriri debeat, 4 sphærulas in uno plano positas, ob visciditatem maiorem, (quam in iis quæ hexagonam obtinent formam) ob quam in tam arctum spatiū in quod possunt, non coguntur, unum quoddam interstitium includere debere; Supponit igitur in unum coalescere Sphærulas parallelepipedæ efficientes, cum tamen pyramides illæ 4, quæ totidem sphærulas majores pro origine suâ agnoscunt, separatæ sint à se invicem, manet igitur eadem quæstio, unde formatæ sint pyramides istæ, quæ constituant parallelepipedæ vel octaedra, quod evitatur si explicetur quæstio, ut eam explicare consultum duxi. Hæc vero in brevissimo temporis spatio fiunt, uti microscopia ostendunt, statim enim aëvidentur crystalli minimæ, augentur etiam & pyramides fere eodem momento formantur, quo cubuli vel octaedra &c. in conspectum prodeunt.

Fundamentum diversitatis figurarum in homogeneitate & visciditate diversâ solutionum est querendum. Sic solutio e. g. salis comm. per se est homogenea, cum solutione nitri vero confusa est heterogenea, & visci-

scidior est illa hac; sal commune enim duplum tantum
ad sui solutionem requirit, minus itaque duplo; si cry-
stallos formare debeat; Nitrum vero separatur à sale
connexo per lenem inspissationem, quintupla aquæ
parte sepatatâ. Ergo majorem requirit quantitatem
aquæ quam sal commune, consequ. hujus solutio et-
iam est viscidior, ac illius, partes enim salis ut proprius
sic ad se invicem accedant, necesse est. Minus vero
viscidæ sphærulæ post aquæ ablationem decentem
proprius ad se invicem accedere possunt, igitur in tam
arctum spatum, in quod possunt coguntur; Arctissi-
mum vero spatum est, ubi tres in superficie planâ po-
sitæ unum includunt interstitium, hinc oriuntur in
crystallisatione nitri prismata recta baseos triangularis
æquilateræ, quorum sex si convenerint, hexagonum
formant prisma; contrarium vero accedit in vitrioli
vel salis vel aluminis crystallisatione, ibi enim, ut ex-
primit celeb. Hambergerus, 4. guttulæ in eodem con-
currunt plano. Diversa visciditas sphærularum dua-
rum solutionum dependet à massa & superficie partium
minimiarum majori vel minori; sic e.g. particulae salis
comm. massam minorem & contra superficiem particu-
larum minimiarum majorem habere debent, quam par-
ticulae nitri, nam ut alia taceam, sal commune argen-
to, mercurio & quodammodo etiam auro summam
conciliat volatilitatem quin etiam fusibilitatem, cum
contra nitrum ejusque spiritus fixitatem potius his
conciliet, quod fieri aliter non potest quam per obdu-
ctionem partium argenti &c. per particulas raras, le-
viiores & subtiliores, ut ex doctrina evaporationis patet.
subtilitas vero partium major ut visciditatem relative

majorem in solutione inferat, cum plus partium subtilium solvi possit in eodem menstruo quam minus subtilium, necesse est, de quo vero paradoxo alio tempore plura. Superest ut exempla dentur, ubi sphærule fluidi sese contingentes figuræ angulares sub certis circumstantiis formant. Hæc vero sunt nix, glacies & spuma. In his enim evidenter per adhæsionem & compressionem mutuam formantur polymorphæ figuræ, licet ob plures rationes à salium & cristallorum indole differant.

Minerarum, quæ ramos, filamenta vel alias vegetationes repræsentant, ortus egregie illustratur per vegetationes artificiales, quæ vero, cum non sint hujus loci, hoc tantum monere lubet quod in his tam ab acetii quam mercurii & argenti vel cupri &c. diversa quantitate & sub diverso ignis regimine adhibito, alia oriantur vegetatio, modo montem, modo silvam modo fructicetum &c. referens; unde quilibet prudens etiam rationem horum pavidere potest.

Radios minerarum ut antimonii, bismuthi, cobalti & nuclei hæmatitidis, ingenti partium sulphurearum in illis contentarum quantitatæ adscribere licet, partes enim igneæ in sulphureis copiose contentæ genium suum & conatum radios formandi semper exferunt, prout tam ex his exemplis apparet, quam ex acubus longis flavis balsami sulphuris therebinthinati inspissati & ex figura quorundam salium sulphureorum simili ut sale Jovis & quodam ex phlegmate olei vitrioli dulcis cum sale tartari saturato.

Ut

Ut tandem paucis etiam lusus naturæ tangam, ii
quidem vel irregulari succi lapidei & mineralis confu-
xui, vel formis sive modulis nonnunquam occuren-
tibus ut testis animalium, vel quantitati fluidi in gut-
tulas plures vel paucas pro circumstantiis diversis sese
colligentis, adscribendi sunt. Nil vetat etiam afferere,
per immediatam divini digiti operam adeo affabre fa-
ctas imagines in achatibus & marmoribus productas
esse.

Jam restaret adhuc discutiendum, an fossilia figu-
rata jam in creatione sic producta fuerint, ut nunc se-
se habent, an vero in diluvio ingentem passa sint mu-
tationem vel per illud plane producta sint, item annon
per particulares inundationes tam aquarum subterra-
nearum quam earum, quæ sunt in superficie terræ, nec
non per terræ motus & ignes subterraneos (in quam
sententiam novissimus hujus argumenti scriptor, Ant.
Lazar. Moro de' crostacei, che si trovano su monti, ex
patriæ suæ phænomenis universalem statim Theoriam
formans, propendet) petrefacta sint nata, sed hæc &
complura alia reservo prælectionibus publicis in Lin-
næi systema naturæ Halæ 1740. cura Dni Prof. Langii
editum, habendis. Dum enim Autoritate principali,
Eminentissimi & Celfissimi Principis ac Domini, Domini
JOHANNIS FRIDERICI CAROLI,
S. Sed. Mogunt. Archiep. S. R. I. per Germaniam Archi-Can-
cellarii, Principis Electoris, Domini mei longe clementissimi,
veri Patriæ Patris, & auspiciis Reverendissimi ac Illustrissi-
mi Domini, Domini ANSELMI FRANCISCI ERNESTI
L. B. DE WARSBERG, Eccles. Metropol. & Catbed. Mo-

guntin.

guntin. Trevirens. & Spirens. Præpositi, Chori Episcopi, Emi-
nentiss. ac Celsiss. Principis Elect. Moguntin. Consiliar. Intimi
& hic Erfordia Proprincipis, Domini mei perquam gratijs
(sub cuius exoptatissimo regimine, ut patria nostra ad-
huc quam diutissime lætetur, devotissime precor) præ-
sentatione per Dominos Patronos corporis Majoristici
honoratissimos, prægressâ, ab Inclytâ & Amplissima
Facultate Philosophica munus Affessoris extraord. &
Professoris Publ. obtinui, omni industriâ eo adni-
ti constitui, ut suavissimis Dominis commilitonibus
Philosophiam quam fidelissime & solide tradam, in
quem finem, ut specimen quoddam, quid à meo qua-
licunque ingenio exspectare debeant, edam, partem Phi-
losophiæ ut utilissimam, ita dulcissimam elegi, cæte-
rum iis non defuturus, qui cursui, ut vocant, Philosophico
in Gottschedii Philosophiam, omnimodâ cum
dexteritate habendo, (modo sufficiens adsit numerus)
interesse voluerint. Initium autem publicarum le-
ctionum erit ad d. 10. & 13. Augusti, hora II. pomerid.
in Auditorio, ut vocant, Philosophico. Dab. Erford.
d. 4. Aug. MDCCXLV.



00 A 6274

ULB Halle
002 913 380

3



56

VDA 8

Rheo

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres
Inches



8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

24.

DE
**GENERATIONE
FOSSILIVM FIGV-
RATORVM,
COMMENTATVR,
ET
PRÆLECTIONES PVBLICAS
IN
HISTORIAM NATVRALEM,
RATIONALEM,
INDICIT
CHRISTOPH. ANDREAS MANGOLD,
MED. DOCTORAND. PHIL. D. ET FACVLT. PHILOS. ASSESS. EXTRAORD.
ET PROF. P.**

ERFORDIAE,
TYPIS JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
ACAD. TYPOGR.